345-6-10- 6

ASSERTIO NES THEOLOGICAE ALIQVOT EX IIS collectæ,

QVAE DE ECCLESIA, ET CONCILIIS fuerunt hoc anno fuſius diſputata.

PROPONVNTVR IN DISPVTA-
TIONES FVTVRAS ANTE STVDIO-
rũ inſtaurationẽ in Templo ſocietatis IESV,
defendendæ ab uno ex Theologicis Audi-
toribus Collegij Germanici, Præſi
de Theologiæ in eiuſdem
ſocietatis IESV
Collegio pro
feſſore.

ROMAE In ædibus ſocietatis
IESV.
M, D. LVI.

HAEreſis nomē licet apud profanos ſcriptores tā latè pateat, ut omnes opiniones, quas propter probabilitatem aliquā homines eligunt, quæuis etiam de rebus grauioribus aſſenſiones, exceptis eis quæ aut euidētes ſunt, aut ad Fidem Chriſtianam pertinent, Hæreſes propriè dici queant, placuit tamen Theologis illas duntaxat opiniones inter Chriſtianos Hæreſes appellare, quas homines nimium uel ſuo, uel aliorū iudicio tribuētes, aduerſus Fidei ueritatem eligunt: eos autem qui ita inſaniunt, Hæreticos eſſe cenſendos.

2 Veritas porrò Fidei ea apud catholicos eſſe dicitur, quæ uel in ſacris et canonicis libris expoſitis iuxta interpretationem receptam, & approbatam per Eccleſiam inuenitur expreſſa, uel in Concilijs generalibus eſt definita, uel perpetua & continenti eccleſiæ traditione confirmata. Quicquid deniq; unq̄; eccleſia credendum propoſuit, illud eſt pro Fidei ueritate habendum.

3 Hæreſis igitur à ſchismate uerè hoc diſcrimine diſtare dicitur, quòd ſchisma abſq; errore, qui cum Fidei ueritate pugnet, eſſe poſſit, Hæreſis non poſſit: licet negari nequeat ſchisma in illis quæ ad fidem & cultum Dei pertinent, ſine Hæreſi eſſe non poſſe, nec Hæreſim abſq; tali ſchismate.

4 Quod ad fontem & originem Hæreſum attinet, omiſſis cauſis externis, propter quas illas Deus excitari permitit, quæ sūt imprimis multa & grauia populi peccata, Paſtorum item ignauia, ac prædicationis uerbi Diuini ceſſatio, necnon profanatio ſacrarum literarum, ac earum cōmunicatio cum rudi ac curioſa plæbe, libenter Diuo Auguſtino aſſentimur, cauſas internas quibus homines mouentur, ut Hæreſum autores fiant, nimium amorem proprium, & inanis gloriæ cupiditatem, præcipuè eſſe ſolere, quam quidem gloriam quia tum demum conſecuturos ſe Hæretici ſperant, ſi à ſe ipſi loqui uideantur, nulla res eſt, quæ Hæreticum animum magis prodat, q̄; quod noui

ſemper aliquid in ſua doctrina conſectetur, & faſtidiat, quæ trita ſunt, & ab omnibus in eccleſia recepta. Porrò hoc eſt in moribus & doctrina Hæreticorum ſingulare, ut cum nouas ſæpe & inauditas ſententias auribus hominum ingerant, tanta tamen audacia, & tam uehementi aſſeueratione, tãta rurſus inſolentia & deſpectione atq; irriſione ueterum omnium & recentiorum doctorum, à quorum fide & iudicio diſcedũt, eas pronuntiant, ut uideantur ea arcana promere, quæ rapti in tertium cælum audiuerunt.

Neceſſe eſt quidem Hæreſes eſſe in eccleſia, ſi perfidiæ & ſuperbiæ hominum ratio ducatur; verùm Deus, qui Hæreticos præ cæteris hominibus odit, efficit tamen, ut ex Hæreſibus uberrimi ab electis ſuis fructus colligantur. Non ideo tamen remiſſior debet eſſe Hæreticorum punitio, cum nec leuius propterea illi peccent, ſed potius quia omnium peſſimè agunt, præcipuè in eos gladium ſtringere debent illi, qui eum portant Dei Miniſtri, uindices in iram, eis, qui malè agunt. Quoniam autem ſimile damnum Hæreticorum libri hominibus afferunt atq; ipſi Hæretici, ſanctiſſimè etiam in Eccleſia cauetur, ut de medio illi tollantur, utq; ab eorum lectione omnes abſtineant, exceptis eis, quibus confutandi Hæreſes, aut confligendi cum Hæreticis, munus eſt demandatum.

DE ECCLESIA, & *Concilijs.*

ECCLESIAE *nomen licet nonnunquam in ſacris literis pro cõcione malignantium, aut Ethnicorum ſumatur: ut plurimum tamen, cum abſolutè pronunciatur, non ſecus quàm cum Eccleſia Dei dicitur, cœtum deſignat hominũ in ueram unius Dei, atq; unius propitiatoris fidem, & legitimum ipſius Dei cultum conſentientium. Cuiuſmodi cœtus etſi nunquam ab orbe con-*

dito in mundo defuit, poſt promulgatum tamen Chriſti Euangelium eos duntaxat complectitur, qui per Baptiſmi ſacramentum admiſſi, doctrinam & cultum retinent, quem Chriſtus ipſe per Apoſtolos ſuos primùm, deinde per eos, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, obſeruandum eſſe uniuerſo mundo denuntiauit.

2 *Hanc Eccleſiam unicam in toto orbe eſſe, etſi multis particularibus eccleſiys tanquam membris maioribus conſtet, non ſolùm affirmamus propter unitatem ſponſi ipſius, & fundamenti, ac capitis, & Ducis inuiſibilis, aut propter conſenſionem in unam doctrinam, atq; in unum uerum Dei cultum, ſed etiam propter unitatem uiſibilis capitis & gubernatoris, quem Chriſtus ipſe, dum in cœlo inuiſibilis præſidet, in hoc uiſibili mundo ut vicarium ſuum, atq; ut caput uiſibile præfectum illi eſſe uoluit.*

3 *Eandem Eccleſiam in ſymbolo Catholicam eſſe profitemur, quòd coaleſcat ex omnibus gentibus, quæ in quauis orbis parte euangelium illud recipiunt, quod Chriſtus per uniuerſum mundum prædicari iuſſit, nec ſit alligata ad certam ullam nationem, quemadmodum Iudæorum ſynagoga, uel prouinciam, ut adulterina illa Eccleſia, quam Donatiſtæ iactabant contra præclara illa Prophetarum, ac totius Veteris Teſtamenti teſtimonia, quibus unà cum Chriſti promiſſione teſtatam & declaratam habemus, uniuerſalitatem Eccleſiæ Chriſtianæ, & eius per totũ orbem propagationem.*

4 *Confitemur etiam ſanctam eſſe hanc Eccleſiam, non quidem, ut impia & Hæretica interpretatio habet, quaſi nullus, qui ſit peccato mortali inquinatus, eius membrum exiſtat, aut quaſi macula unius membri reliquorum munditiæ & ſanctitati labem aſpergat (quam quidem Hæreticam impietatem nec ipſi Lutherani ĩ ſuo Luthero pertinaci propugnatore errorũ Ioãnis Husz ferre potuerũt) ſed has tres ob cãs; Primùm ob ſanctitatem doctrinæ & puritatem legum moralium, deinde quòd in ip*

ſa duntaxat, & nunquam extra eam remiſſio peccatorum, & Sanctitas confertur: tertiò, quoniam nunquam ſanctis aliquibus deſtituitur, qui ueſte nuptiali ſunt induti, & oleum in lampadibus inſtar Virginum prudentium geſtant, quiq; palmites ſunt fructum in uite gerentes, frumentum, non palea, boni piſces, non mali, aurea uaſa, non lignea; deniq; qui (ut Auguſtinus inquit) audiendo & faciendo ſupra petram ædificāt, & eos tolerant, qui audiendo tantùm, & non faciendo ædificant ſuper arenam.

Contra hunc Sanctitatis Articulum, præterquam quòd illo in primis ſacrilego errore peccant Hæretici, quo exiſtimant nullum in Militanti Eccleſia hominem eſſe iuſtum & ſanctum per inhærentem ſanctitatem, ſed per ſolam iuſtitiæ Chriſti imputationem, duos alios grauiſſimos errores adiunxerunt quorum Prior eſt, exceptis paucis capitibus, quæ fixa & indubitata eſſe oportet, in reliquorum doctrina & ſacramentorum adminiſtratione uitium ſolere in Eccleſia obrepere. Alter eſt, Deum non continenter ſanctitatem doctrinæ & adminiſtrationis ſacramentorum in huius mundi Eccleſia ſeruare, ſed certis temporibus excitare aliquos, qui ipſius Spiritu inſtructi uerum lumen fidei in aliorum cordibus accendant. Sed hos errores penitus conuellunt Chriſti illæ promiſſiones: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Ecce uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſæculi: Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater ĩ nomine meo, ille uos docebit omnia. Item illa Pauli uerba, quibus Eccleſiam Chriſtianã columnam ueritatis eſſe cõfirmat.

Eccleſiam Chriſti, quam unam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam profitemur, adeo eſſe uiſibilem, & conſpicuam, ut digito monſtrari non ſecus atq; alia quæuis hominum Reſpublica poſſit, præter illa ſcripturæ uerba, quibus ea dicitur Ciuitas ſupra montem collocata, & lucerna ſupra candelabrum poſita;

Hæc etiam ratio clariſſimè indicat, quòd cum Eccleſia eò nobis ad credendum imponatur, ut ſciamus Domum quandam habere Deum in terra, figuratam olim per Arcam Noe, in qua oporteat nos primum quidem per baptiſmum regenerari, deinde uerò per obſeruationem fidei, & legum ipſius ali, & conſeruari, ſi æternam animarum mortem uelimus effugere, neceſſum planè ſit hanc nobis ſignis indicari, quæ palpare ſenſu & euidenter cognoſcere poſſimus. Etenim ut fieri nullo modo poteſt te eſſe obligatum ad cognoſcendum Ioannem, multò autem minus ad ſuſcipiendam doctrinam ex ore eius, niſi certa tibi ſuppetant ſigna, quibus illum poſſis dignoſcere (quæ neceſſe eſt ſenſibilia eſſe, cum res ſenſibilis & ſingularis diſcerni niſi per ſenſibiles differentias non poſſit) Ad eundem modum fieri etiã omnino nequit, aſtrictos nos eſſe à Deo ad amplexandam Eccleſiam eius uiſibilem, & cultum eius uiſibilem (ideſt quem in ea tradi auribus & oculis percipimus) obſeruandum, necnon ad doctrinam ex Magiſterio eius recipiendam, niſi certis notis ac ſignis ſenſibilibus, quæ minimè ſint ambigua & fallacia, eam deſignaret.

7 Signum ſanè hoc uiſibile in ortu eccleſiæ noſtræ, quo dignoſcere liceret eam ueram eſſe eccleſiam, quæ & doctrinam ſine errore, & cultum ſacramentorum abſq; uitio traderet, hoc fuiſſe, quo Chriſtus Dominus (qui & uoce ſenſibili Patris cæleſtis, & innumeris miraculis uerus Dei filius eſt declaratus) clara & aperta uoce diſcipulos ad prædicandum miſit, clara itẽ & manifeſta uoce Petrum in Vicarium ſuum elegit, cum uniuerſas ſuas oues illi paſcendas & regendas commiſit, ut ipſo aſcendente in Cælum, Petrus tanquam uiſibile caput Eccleſiæ, quæ in terris manebat, relinqueretur, accepta poteſtate ædendi miracula tanquam argumento euidentiſſimo ad difficillimum illum, ut qui omnem Chriſti Religionem complecteretur, articulũ ſan

ſtitatis demonſtrandum, quo ſanctitas Eccleſiæ Chriſtianæ in doctrina & moribus affirmatur.

8 *At noſtris hiſce temporibus, ſuperioribus etiam multis, & futuris ad cõſummationem uſq; ſæculi, iã abũde ſatis Eccleſiæ ſanctitati cõciliata fide, ceſſantibus miraculis relictum oportuit (ut ſupra monſtratum eſt) aliud uiſibile ſignum, quod in claræ uocis Chriſti, & miraculorum locũ ſuccederet, quo oſtendatur cõſenſio & unitas Eccleſiæ noſtræ cum Eccleſia illa prima uiſibili Apoſtolorum, quã Chriſtus Dominus ſuo digito monſtrauit, & cum cæteris conſecutis, in quibus tot ſancti confeſſores, Martyres, & uirgines uixerũt, qui multis euidẽtibus miraculis claruerũt, unitatis aũt huius teſtibus ueteribus ſapiẽtiſſimis qbuſq; Theologis nullũ certius et clarius ſymbolũ dari põt (miraculis Diuinis exceptis) quàm ſi demõſtretur Eccleſiã aliquã uiſibilem huius tẽporis deriuatã eſſe ex Eccleſia Apoſtolorũ perpetuo et cõſtãti quodã ordine ſupremorũ Epiſcoporũ ac capitũ deiceps ſibi in munere, & eiuſdem doctrinæ profeſſione ſuccedentium, quem ueræ & incorruptæ hiſtoriæ monumenta confirment.*

9 Hoc *aũt ſignũ quoniã euidẽter cognoſcimus cõpetere hodie in Eccleſiã, quæ Epiſcopo Romano uero et legitimo Petri ſucceſſori tã quã vicario Chriſti & ſupremo capiti paret, ideo credere oẽs oĩno tenemur, ſolã hãc eſſe Chriſti Eccleſiã uerã, ſolã ueros et legitimos habere miniſtros, q ſuã originẽ ad Apoſtolos referãt, à qbus per legitimas et cõtinuatas ordinationes ortũ duxerunt, ſolã deniq; purã Euãgelij doctrinã, et legitimũ ſacramentorum uſum docere, Reliquos uerò hoĩm cætus, ut Lutheranorũ, Zuinglianorũ, et Anabaptiſtarũ, et aliorũ Hæreticorũ, q ſciſſa huius ueſtis incõſutilis unitate, et nothis ac falſis Miniſtris abſq; legitima ptãte, et ordinatiõe acceptis, diſceſſionẽ ab Eccleſia fecerũt, uerius ſynagogas Sathanæ q diſſẽſiones et diſcordias fouet, q̃ Chriſti, q autor pacis, et unitatis eſt, Eccleſias eſſe æſtimandas.*

10 Cæterum quam grauis error ſit ille Hæreticorum, quò puritatẽ doctrinæ pro ſigno ueræ Eccleſiæ conſtituunt, haud obſcurè hoc oſtendit, quòd de puritate doctrinæ nemo certus eſſe poſſit, niſi iudicio & ſententia Eccleſiæ confirmetur; Apud quã quidem Eccleſiam hanc poteſtatem & autoritatem reſidere, ut libros Canonicos ab Apochryphis, ſynceram doctrinam ab impura, legitimum cultum à falſo, et ſuperſtitioſo diſcernat, ambigua ſcripturæ loca explanet, difficiles deniq; & obſcuras de Religione controuerſias conſtituat, nemini dubium eſſe poteſt, qui (ut promiſſiones, quibus Chriſtus Eccleſiã ſtabiliuit, omittamus) ſtudioſè aduerterit, cum ſuauiter, & humano more gubernandi eſſent homines in Eccleſia uiſibili, tam neceſſariũ fuiſſe, unum Iudicem in ea præſidere, qui clara & humana uoce lites dirimeret, & quæſtiones, quæ de Religione naſcerentur, explicaret, quemadmodum in ueteri Eccleſia fieri ſolebat, ut niſi ille fuiſſet relictus, Babilonica confuſio potius, quàm politia, ut caſtrorum acies ordinata Chriſti Eccleſia appáruiſſet.

11 Sapienter Catholici duplex Dei uerbũ ponunt, inuiſibile unũ, quod ſi generatim definiatur, nihil eſt aliud, quàm cognitio per internam ſpiritus ſancti reuelationem percepta, ſtrictius autem acceptum, & ut de eo, cũ de Eccleſia agimus, loqui conſueuimus, doctrina eſt per ſpiritum ſanctum, quem Chriſtus Dominus ad ſuos Apoſtolos miſit, in ipſorum mentibus infuſa, per quã inſtructi illi fuerunt de ueritate omni tum ad fidem, tum ad cultũ & mores pertinente, qua uiſibilis eccleſia in hoc mundo indigebat. Alterum uocatur expreſſum, ſiue uiſibile, quod pro doctrina ea ſumi propriè ſolet, quam Apoſtoli inuiſibilis uerbi luce perfuſi, ſua prædicatione, & inſtitutione tradiderunt; cuius doctrinæ pars una prius fuerat Prophetarum libris declarata, Altera partim fuit libris excepta, partim uerò duntaxat cum Chriſtianis, qui tunc erant, cõmunicata eſt, & per manus abſq; monumẽtis

ullius

ullius canonicæ ſcripturæ poſteris tradita, quomodo ad nos quo que peruenit, & ad poſteros noſtros ad conſummationem uſq; ſæculi transfundetur.

12 Similes ſententiæ à nobis concipiendæ ſunt, cum de Eccleſia primitiua, & Eccleſijs illi legitimè ſuccedentibus comparatis ad uerbum Dei uiſibile loquimur: Nam reuera Chriſtus Dominus ſimilem omnino legem de Eccleſia primitiua, & quauis Eccleſia legitimo ordine ei ſuccedente promulgauit, cum magnificis eloquijs ac promiſſionibus eam uniuerſo mundo commendauit.

13 Vt non omnia, quæ uerbo inuiſibili Apoſtoli cognouerunt, ad doctrinam perpetuò in Eccleſia Dei ſeruandam pertinebant, ſed quædam erant, quæ ſanctus ſpiritus docebat mutationem pro tempore & loco debere recipere, alijs nullo unquā tempore mutatis: Ad eundem ſanè modum Eccleſia conſecuta, perfectiſſimè ab Apoſtolis inſtructa et præſentia ſancti ſpiritus ſemper illuſtrata, eaſdem differētias in uerbo uiſibili percepit. Quare nihil dubitauit abrogare, cum expedire illi uiſum eſt, legem abſtinendi à ſuffocato & ſanguine, nihil etiam dubitauit interdicere propter grauiſſima incōmoda, quæ ſequebātur, ne infantibus Euchariſtia cōicaretur, ut fieri in ipſis Eccleſiæ initijs multis in locis ſolebat, ne ue laicis ea ſub utraq; ſpecie porrigeretur, ut longiſſimis temporibus in multis Eccleſiis fuerat factum.

14 Sicut gubernatores Rerumpublicarum aliquas habent leges certas, & fixas, à quibus nulla ratione diſcedere eis unquam liceat, alias autem condere ipſi & mutare pro ratione temporum & locorum poſſunt; ſic Eccleſia et ſi doctrinam fidei in uerbo Dei incluſam pro lege immobili habeat, et pro regula, cum qua perpetuo conſentire teneatur, alias tamen leges pro autoritate ſibi à domino tradita addere poteſt, quas aptas iudicet uel ad ornandum diuinum cultum, uel ad erudiendos homines, uel ad iuuandos in uia ſalutis æternæ, uel ad cohibendam malorum licentiā,

& omnes in officijs Chriſtianis continendos.

15 Impiè autem & mendaciter effingunt Hæretici, & exprobrant Eccleſiæ catholicæ tradi in ea, per harum legum humanarum obſeruationem, remiſſionem peccatorum conſequi hominem, Eccleſia enim catholica diſertis uerbis docere ſolet, eam nemini poſſe contingere niſi per meritum Chriſti applicatum per fidem & ſacramenta re uel uoto ſuſcepta, quæ in hunc finē à Domino fuerunt inſtituta.. Meritum porrò in obſeruatione legum humanarum, quæ cum charitate fit, iuſtiſſimè collocatur, cum uerem obedientiam erga Deum illa obſeruatio contineat, ſicut contemptus earum ac uiolatio inobedientiam, iuxta illud, Qui uos audit, me audit; & qui uos ſpernit, me ſpernit.

16 Cum tripartita ſint ea, quæ Eccleſia ſuis ſubditis ad obſeruandum proponit, ac primi quidem generis illa ſint, quæ ad fidei doctrinam pertinent, ſecundi autem præcepta utilia & ſalutaria, quæ ipſa condit, tertij demum iudicia & decreta, quæ ipſa in rebus dubijs conſtituit ducta allegationibus & teſtimonijs hominum quibus inniti in eo genere rerum neceſſariò cogitur, affirmamus in præceptis tertij generis falli & labi Eccleſiam, iuſtiſſima Dei prouidentia permitti, cū decreta hmōi conſtituantur iuxta allegata et probata per homines, qui poſſunt & falli in eis, quæ affirmant, & uelle etiam fallere eos, quos inſtruunt. Huiuſmodi igitur decreta atq; præcepta in conſcientia eos non obligant, qui euidenter nouerunt falſa eſſe, quæ ad Eccleſiam delata ſunt, Reliquos autem, qui hoc non nouerunt, ad obediendum obligant.

17 Quando citra omnem controuerſiam confitentur omnes quotquot Chriſtiani nomen profitentur, maximæ autoritatis, & poteſtatis penè diuinæ magiſterium, quo uera fidei doctrina, uerusq; religionis cultus traderetur, et ſi quid turbaretur, facilè ſedaretur, ac cōponeretur, apud Eccleſiā à Chriſto Domino eſſe depoſi

tũ nõ ſine promiſſione magnifica, qua illi perpetuò ſe affuturũ ipſe promiſit, ut portæ inferi (ideſt erroꝝ deceptiones) præualere aduerſus eã, dũ doctrinã fidei traderet, & exortas cõtrouerſias cõponeret, minimé poſſent, operæpretium fuerit explicare, quid nomine huius Eccleſiæ, quam ut Magiſtram, & doctricẽ nobis reliquit, intelligere nos oporteat.

18 Porrò q̃ ſit abſurdũ ſcripturã difficilẽ & perobſcurã, atq; in plurimos ſenſus flexibilẽ, quã autoritate apud hoĩes ipſa Eccleſia ordine tẽporis præcurrit, Iudicẽ ad diſceptãdas Religionis cõtrouerſias cõſtituere, ex eo apparet, ꝙ quãquàm faceremus ſcriptũ fuiſſe à Chriſto Domino librũ aliquẽ, in quo explicatiſſimè cõtinerẽtur, quæ ad inſtitutionẽ totius noſtræ uitæ pertinerẽt, à quo iuberet Dominus Doctores oĩa fidei & moꝝ documẽta et explicationes omniũ controuerſiaꝝ haurire, nec tamẽ liber ille, iudex dici deberet in dirimẽdis cõtrouerſijs, quæ ĩter rudes et ignaros orirẽtur, ſed tanq̃ regula et lex ĩmobilis eſſet habẽdus reſpectu Eccleſiæ, quæ ut iudex ſententiã ſuã ad eam deberet exigere.

19 Quod ſi Apoſtolos & diſcipulos Chriſti, q homines erãt, ſua natura mẽdaces, ſanctus Spũs ita rexit & gubernauit, ut nunquam nec ſcribẽdo, nec docendo mẽtirentur, id quod facillimè efficere ipſe potuit, occulta et inuiſibili directione abſq; ullo miraculo ſenſibili: cur ſunt Hæretici adeo impij, et blaſphemi in Chriſtũ, ut negẽt à Deo ita dirigi et gubernari iudices et doctores (qcunq; illi ſunt, q Eccleſiæ noĩe ab ipſo intelligũtur) ut neminẽ unq̃ fallãt, cũ ſe hoc præſtiturũ diſertis ille et claris uerbis promiſerit; An putãt abbreuiatã eſſe manũ Domini, aut debilitatã uirtutem eius, aut minori curæ ei eẽ Eccleſiã, quæ nũc ẽ, q̃ illa uetus fuit?

20 Quia uerò uniuerſa fidelium congregatio uarias in diuerſis ſuis membris habet functiones, nec Doctores ſolùm in ſe continet, ſed plurimos rudes et ignaros, q ab alijs ut Diſcipuli ĩſtrui debent, ita ad propoſitam in principio quæſtionem reſpõdemus,

eam eccleſiam, cui Chriſtus ſupradictam autoritatem commiſit, excellentiſſimum totius corporis membrum eſſe oportere, & eiuſmodi, ut uniuerſam eccleſiam aliquo modo referat, et eius nomē ac dignitatem ſuſtinere poſſit. Itaq; aut Pōtificem eſſe Romanum, quem Chriſtus caput & fundamentum uiſibile inſtituit eccleſiæ ſuæ uiſibilis, aut congregationem (quæ concilium dicitur) eorum, qui nunc Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Prophetarum, Paſtorum, & Doctorum munere funguntur, in qua tanquam caput Romanus ipſe Pontifex præſidet.

21 Ex hoc autem neceſſaria conſecutione alterum colligitur, nullū nēpe in toto orbe cœtum hominum cogi poſſe ſine Papa, qui hanc habeat poteſtatem & autoritatem. Poſſe igitur Prouincialia, et Nationalia cōcilia, id quod priuatis etiam Doctoribus licet, diligenter inquirere, quid ſit illud tandem, quod in controuerſijs, quæ de fide oriuntur, Eccleſia catholica profiteri conſueuerit, idq́; alijs per modum doctrinæ tradere: temere tamen ac ſuperbè ea facere, ſi hanc ſibi arrogent autoritatem, ut præſcribere uelint, quid ſequi ac tenere tanquam certum Chriſtianos oporteat; Nam hoc ne œcumenicis quidem (ad quæ totius orbis Epiſcopi conuocantur) concilijs licere, quæ eſſent à ſummo Pontifice coacta, cuius morte interciperentur, quàmdiu ſedes uacaret: nec illis, qui tempore ſchiſmatis cogi poſsent, tantiſper dum certus aliquis Pontifex declaretur. Ac poſſe quidem errores inueniri in doctrina, quæ ab his concilijs prodiret, non interpoſita autoritate Pontificis, non ſecus, quàm in doctrina cuiuſuis hominis eruditiſſimi. Siue igitur ſupremam hāc autoritatem ſummo Pontifici ſoli tributam fuiſſe à Domino defendamus, ſiue nō illi ſoli, ſed cōgregationi alicui, cuius ille ſit caput, negare certè non poterimus in concilio œcumenico, in quo ſummus Pontifex præſideat, eam ineſſe, ut in ea congregatione, quæ ueriſſimam totius Eccleſiæ imaginem exprimit.

Porrò

12 Porrò de comparatione harum auctoritatum inter ſe, utra inquam ſit maior, concilij an Pontificis, ut apertè ſtatuamus, primùm huiùs comparationis ita conſtituenda ſunt extrema, ut unum faciamus ſolum Pontificem, alterum uerò plenarium & legitimum Concilium, in quo ſummus Pontifex tanquam caput præſideat. Dicimus igitur ſupremam & ueluti Vicariam poteſtatis Chriſti Eccleſiaſticam autoritatem in ſolo Ro. Pontifice, & non in Eccleſia, in qua ipſe non adſit, ullo modo reperiri; Itaq; Eccleſiam nullam autoritatem coercitiuã in ipſum habere, nec ullis eum poſſe legibus ligare, multò autem minus ſummo Pontificatu à Chriſto ipſi tradito expoliare, deinde controuerſias fidei & alias grauiores cauſas abſq; ſummi Pontificis autoritate, & approbatione non poſſe definire, nec Concilium perfectum & abſolutum (cuiuſmodi utiq; ſine præſentia Pontificis, aut Legatorum eius eſſe non poteſt) congregare, nec Pontificem eligere, aut Concilium imperfectum conuocare, niſi ea accidant tempora, ex quorum occaſione & difficultate hoc ius ad Eccleſiam deuoluatur; Ad extremum nec ipſum quidem plenarium, & abſolutum Concilium aliam habere uel infallibilitatem, uel ſupremam autoritatem ab ea, quam à ſuo capite & Præſide, cui illam Chriſtus promiſit, & præſtat, mutuatur; Hæc inquam omnia haud obſcurè uera eſſe cognoſcemus, ſiue Chriſti inſtitutionem, & uerba, ſiue ueterum ſanctorum Patrum interpretationes & ſententias, ſiue uſum perpetuò in Eccleſia obſeruatum, ſiue quid ius ipſum, & ratio optimæ & ſapienſſimæ gubernationis Eccleſiæ, quidùe fidei unitas, & animorum in uno ſpiritu coniunctio, ad quam tanquam ad finem illa deſtinatur, poſtulent, inſpicere uelimus: etenim intelligi non poſſe uel ſummam autoritatem Eccleſiaſticam pluribus diſtinctis & diuerſis, ita eſſe conceſſam, ut ſinguli ſeorſum ea polleant; uel autoritatem Põtificis ſummam dici poſſe ſi ea (ut qui

dam aiunt) quoad uſum & executionem dirigi per Eccleſiæ autoritatem debeat, & reſtringi, ac dilatari ab ea poſſit. Deinde contradictionem inuoluere, ſtatum Eccleſiaſticæ Reipublicæ Monarchicum ſimul & Democraticum eſſe. Item non cohærere, ut Chriſtus, cum corporalem ſuam præſentiam ſubtraxit, vicarium quatenus homo ſufficeret, qui non eſſet illi in ea autoritate, & munere ſucceſſurus, quod manens ille in mundo obiturus fuiſſet: Cum reliqua igitur Eccleſia non habuiſſet autoritatem ullam in uſum poteſtatis Chriſti, non habere etiam autoritatem ullam in uſum vicarij, idq; non obſcurè Dominum ſignificaſſe, cum vicario ſuo tanquam uniuerſali Paſtori omnes, qui in Eccleſia ſunt, uelut oues parere uoluit: Non enim ouibus uel ſeorſum acceptis, uel coniunctis poteſtatem ullam in paſtorem eſſe; multò etiam minus conſentaneum eſſe, ut uiuente in Cælis Chriſto, qui Princeps caput eſt, & primarius Paſtor, ac gubernator Eccleſiæ Militantis, vicarium ab eo conſtitutum, & ſupernaturali inſtructum poteſtate, eius iniuſſu ab hominibus poſſe vicariatu deiici, & illa tam excelſa & ſupernaturali poteſtate priuari.

23 Parum admodum conſiderare qui aliter ſentiunt, immo ne percepiſſe quidem quo diſcrimine ſeparetur Monarchia eccleſiaſtica, quæ Regnum cœlorum in Euangelio uocatur; à Monarchia ciuili, quæ Regnum terreſtre dicitur; In Monarchia certè regni terreni Monarcha poteſtatem exercet delatam ſibi à communitate, cuius partes gerit, & uelut perſonam tanquam vicarius eius ſuſtinet. Itaq; licet poteſtatem habeat ſupra ſingula membra communitatis, non habet tamen ullam autoritatem in ipſam communitatem, cum eam quam tenet, illa largita ſit, & auferre etiam poſſit. At in Regno Cælorum, & ſpirituali Monarchia primùm quidem Chriſtus uerus Rex, & Monarcha ampliſſima in uniuerſum Regnum pollet autoritate, accepta illa qdem

nõ à Regno, ſed ab æterno Patre, per quam ſubditam ſibi habet Eccleſiam ſuam tanquam ſponſam; hanc autem ſuam poteſtatem Dominus cum Pontifice tanquam immediato ſuo Vicario communicat.

24 Ex hac autem collatione Monarchiæ ſpiritalis & ciuilis ſiue humanæ, apertè nobis commonſtratur huius controuerſiæ exitus; Conſtare enim hinc cùm omnia, quæ ſuperius cõſtituimus, tùm illud etiam, formam hanc in aliam commutari ab Eccleſia non poſſe: quam quidem formam ſi nos per diuini luminis radium intelligamus, tantùm conducere ad unitatem fidei, & charitatis in uno ſpiritu retinendam, quæ finis eſt Chriſtianæ Reipublicæ, quantum eam uiri ſapientes naturæ lumine illuſtrati uiderunt profuiſſe communitatibus ad pacem mutuam, & iuſtitiã conſeruandam, atq; adeo ad ſufficientiam rerum obtinendam, q finis eſt ciuilis Reipublicæ, Chriſtum Dominum Dei ſapientiã exiſtimabimus decuiſſe maximè, ut talem formam ſuæ Reipublicæ inſtitueret.

Poteſtas hæc Pontificis, quia naturæ uires ſuperat infallibilitas illa in conſtituendis controuerſijs fidei, qua poteſtas fulget, ut nihil nunc de alijs eius ornamentis dicamus, non ea minus ſupernaturalis eſt, quàm poteſtas ſacerdotis, quæ per ordinem cõfertur: quæ quia per uiſibiles effectus prodere ſe non poteſt, ut nota ſit hominibus, confertur à Deo (à quo ſolo inſtitui potuit) per ſignum uiſibile, ut et ſacerdotis poteſtas, uerum non eodem omnino modo. Etenim Cardinales perinde ſe habere in creatione Papæ, atq; illi, qui Iuſpatronatus habent, qui non habent ius ut ſacerdotium, aut Epiſcopatum donent; ſed tantum ut nominent eum, cui à Pontifice conferatur. Itaq; legitimam electionẽ uelut nominationem eſſe, & ſignum ſenſibile, quo poſito, maximam illam, & uicariam ſuam ad Eccleſiam regendam poteſtatem Chriſtus largitur, abſq; impreſſione tamen indelebilis cha

racteris qualis imprimi ſolet, cũ poteſtas ordinis per ſacramentum confertur: Nam Chriſtus Dominus, à quo hæc vicarij huius poteſtas pendet, ut ſignum quoddam uiſibile præfixit legitimam electionem, quo poſito, Vicariatum ſuum donaret: Ita ſigna alia eſſe uoluit, quibus interuenientibus eum tolleret, ut publicã & ſpontaneam renunciationem, claram & apertam Hæreſim, maniam item, quæ incurabilis à Medicis iudicatur, et ſiqua ſunt alia, quæ per ipſoſmet Chriſti Vicarios illuſtratos ſpiritu domini ſui declarata ſunt.

26 Quando igitur Ro. Pontificis poteſtati nulla alia in terris par, nedũ ea ſuperior ĩuenitur; ad euincendũ certas et infallibiles perpetuò eẽ Pontificũ definitiões ĩ qõnib. fidei, et iuris, nihil tã ualet, quã quod ſuprema ei ptãs ĩ oẽs Chriſtianos data ſit cui parere oẽs teneantur in illis, quæ ad fidẽ & religionẽ pertinent: Nam ſi ſcribis, & Phariſæis, dum ex cathedra Moyſis docebant, & ſacerdotibus leuitici generis, qui cum electo iudice & Pontifice ad definiendas & explicandas difficiles & obſcuras legis controuerſias conſtituti erant, infallibilitas tributa eſt; Si deniq; Euangeliſta ſcribit, ideo uerum uaticinium ex ore Cayphæ prodijſſe, quòd Pontifex is eo anno eſſet, cum illud uaticinium ædidit; par ſanè erit, ut credamus infallibilitatem diuinitus præſtari Vicario in ipſius Chriſti cathedra ſedenti; præſertim cum eam diſertis uerbis promiſſam Petro à Chriſto Domino fuiſſe legamus, non tam propter perſonæ conditionẽ, quam propter officij, quod habiturus erat, rationem; ut contineret uidelicet, & confirmaret in uera fide & Religione fratres ſuos, ideſt reliquos omnes Chriſtianos.

27 Vt autem intelligamus quid de illorum opinione ſentiendum ſit, qui uſq; adeo fauent huic ſententiæ, quæ ſupremam poteſtatem in terris Chriſti Vicario tribuit, ut contendant concedendum non eſſe, legitimum Concilium, in quo ſummus Pontifex

præſideat,

præſideat, & quod nihil ſine eius approbatione decidat, maiorem habere autoritatem in definiendis difficilibus Religionis quæſtionibus, quàm ſolum Pontificem: Primùm aſſerimus conſtare ex ſacris literis, & perpetua Eccleſiæ traditione, atq; adeo ex ſuaui gubernandi ratione, qua Chriſtus ſuam Eccleſiam abſq; ordinarijs miraculis, quæ uiſibilia ſint, regit, ſummum Pontificem non debere ſine conſilio prudentium uirorum, qui exercitatos habeant ſenſus in lege Domini, Eccleſiam adminiſtrare, & difficiles atq; obſcuras quæſtiones, illas præſertim, quarum determinatio uniuerſum orbem obliget, conſtituere.

Deinde non ſemper Pontificem aliorum uti conſilio, quaſi eo indigeat, & non ſatis perſpectum ac certum habeat, quid de eis ſtatuere & præcipere debeat, quæ in diſquiſitionem uocantur; Ac ſæpe quidem illum concedere, ut Concilium conuocetur, in quo de dogmatibus fidei diſputetur, quæ certa alioqui ſunt & indubitata, eò ſolum, ut errores aduerſus illa excitati Concilij autoritate tollantur. Immo hoc uniuersè dicere auſim, nunquam adhuc accidiſſe, ut Concilium catholicorum cauſa cogeretur, quo uidelicet certum aliquid de illis conſtitueretur; de quibus anceps antea fuiſſet & incerta ipſorum opinio; tantum abeſt, ut ſummus Pontifex ſua cauſa unquam huiuſmodi Concilium conuocarit. Cæterùm id ad quæſtiones fidei explicandas ferè ſemper conuocari, ut infirmis & imperfectis, uel uacillantibus in fide, uel omnino deprauatis ſubueniatur, quos certum eſt nulla humana ratione magis adduci poſſe, uel ad deponendos errores, uel ad ueritatem catholicam conſtanter retinendam, quàm concordi plurimorum ſapientiſſimorum & grauiſſimorum hominum ſententia atq; iudicio.

28 Ad quæſtionem poſtremò, quæ explicatius ſic proponi poteſt: An ſummus Pontifex adiutus conſilio & ſuffragijs Concilij poſſit

plura præſtare, quam ſolus? Item, an, ſi qua decreta ſolus Pontifex faceret, illa tantum fidei, autoritatis, et ponderis haberent, atq; eadem facta ab ipſo cum Concilij conſenſu? Dicimus primũ nihil omnino poſſe Pontificem cum Concilio generali, quod non poſſit cum Concilio ſacerdotali.

Quare nec quæ in quæſtionibus Iuris, & Religionis Pontifex cum conſenſu Concilij ſacerdotalis decernit iudicialiter, minus fidei & autoritatis habere apud uiros ſpirituales, qui ſpiritualiter omnia dijudicent, quàm ſi eadem approbante Concilio generali decreuiſſet. Verum propter infirmos & imperfectos, qui humana ratione ducuntur, charitatem hortari nos ſæpe, ut ad ſuſtinendam eorum infirmitatem nos accommodemus. Deinde non plura poſſe Pontificem cum Concilio, quàm ſolum, ab eoq; ſolo decreta non minorem habere autoritatem, quàm ſi eſſent cum Concilij autoritate conſtituta. Quicquid deniq; à ſummo Pontifice credendum proponitur, id totum à Chriſtianis ſumma eſſe cum promptitudine (quaſi à Chriſto datum) maximaq; ueneratione ſuſcipiendum. Etenim illud eſſe uerißimum; Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua; & illud; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; quæ tum ei, tum deeo dicta ſunt, cui fuerunt claues Regni cæleſtis traditæ, & Eccleſiæ oues commiſſæ à Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui eſt benedictus in ſæcula; Amen.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE